

non possumus ; lumen sine quo in tenebris nobis relicti perpetuo cœcutimus ; quod vicem nobis in cœlum ituris præstat nubis illius igneæ , quæ olim Israelitis in itinere aderat, ne à via deflecterent ; & ut uno verbo reliqua complectamur, thesaurus nullo pretio æstimandus , quo nihil carius, nihil antiquius Christiano homini esse debet. Hinc mirum non est, tantam omni tempore piorum de illa fuisse existimationem , ut eam tanquam *λόγον ἀξιόπιστον*, *verbum quod dignum,* cui fides habeatur, susceperint, & omnibus pretiosis ac divitiis quam longissime anteposuerint.

§. 2.

Jam olim apud *Judaeos* in Vet. Testamento Scripturæ studium viguisse satis constat , nec ut à nobis operose demonstretur, necesse est. Obversabatur illorum oculis serium Dei mandatum, quo ad assiduam legis divinæ lectionem & meditationem compellebantur. Deut. IV. 10. VI. 6. 7. 8. 9. XI. 18. 19. nec promissa deerant, quibus ad id præstandum erigebantur Deut. XI. 21. Jos. I. 8. &c. Hinc factum, ut memores divini mandati diurna nocturnaque manu illam versarent, cujus exemplum in Regio Propheta *Davide* habemus omnium illustrissimum , quod vel ex lectione Psalmi CXIX. sufficienter patescit. Quantum Siracides , homo Judæus , in Ecclesiastico suo illam celebrarit , ex Cap. I. 5. 6. II. 18. VI. 37. IX. 22. XIV. 22. seqq. XV. 1. XXXIII. 2. 3. imprimis ex Cap. XXIV. 33. -- 39. & aliis locis satis constat. Potissimum eruditiois suæ partem Judæi recte sentientes in Scripturarum cognitione collocarunt , quia illæ ea omnia comprehendebant , quæ scitu ipsis erant necessaria. vid. EUSEB. *præpar. Evang.* Lib. XI. Cap. 3. & seqq. Hinc liberos suos mature doctrinis ejus quasi innutriebant. Genes. XVIII. 19. Tob. I. 10. unde statim cum fari inciperet puerulus, pater quoque institutionis suæ faciebat initium. vid. HOTTINGER. *Thes. phil.* L. I. Cap. II. Sect. 3. p. 91. Multi eorum huic studio se unice dantes , in scrutando illius altiori sensu toti versati sunt , tantamque simul curam legis conservandæ gesserunt, ut ad superstitionem usque sæpe progredientes , voces , literas , immò fere apices cuiusvis biblii libri sollicite computarent. Quanta veneratione eam prosequu-

*Judaorum  
studium in  
Scriptura S.*